



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. III. Ostenditur argumentum de prædicatis contradictoriis probare  
dari in Deo virtuaalem distinctionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

sultis sit facta, ut refert Vasquez citatus, cap. 2. & Baronius num. 26. doctrinam tamen probavit, tanquam veram & genuinam Ecclesie Romanae sententiam, ut fufius habetur in Baronio, num. 18. & 26.

SECTIO SECUNDA.

*Deturne inter Relationes & Essentiam distinctio ex natura rei.*

I. Scoti, & sequacium sententia, de distinctio- ne formali.

**A**FFIRMAT Scotus in 1. dist. 2. q. 7. & dist. 8. q. 4. quem sequuntur ejus discipuli, eamque univrsim omnes veluti Scotista tesseram amplectuntur: quamvis nonnulli, ut Suarez lib. 4. de Trin. cap. 4. num. 2. & 5. Hurtado disp. 6. Metaph. sect. 3. num. 26. & alii negent Scotum hujus esse sententia, quod distinctionem illam asserat posse vocari distinctionem rationis. Afferunt itaque hi Auctores, veram aliquam ante omnem operationem intellectus dari inter Essentiam divinam & Relationes distinctionem, ita ut sit entitas & entitas, & haec non sit illa formaliter.

II. Videtur haec sententia contra auctoritatem Patrum.

Hanc sententiam, prout istiusmodi distinctionem statuit inter praedicata metaphysica, late impugnavi in Logica: prout vero similem distinctionem ponit inter praedicata Dei absoluta, impugnavi supra, Disp. 5. sect. 6 & sequentibus, & rationes quas contra eam illic attuli, hic etiam militant, de Relationibus, auctoritas in primis Patrum, qui ut loco citato, num. 5. & sequentibus dixi, in Deo nullam admittendam esse aiunt distinctionem actualem ante operationem intellectus, sed omnia esse perfectissime unum. Quare P. Fonseca 5. Met. cap. 6. q. 6. & 7. licet hanc Scoti sententiam acerrime defendat inter praedicata Metaphysica in creatis, in divinis tamen, propter auctoritatem Patrum, eam nullo modo admittendam esse affirmat. Videatur Disp. illa 5. citata, ubi omnes Scotistarum responsiones ad Patrum auctoritatem attuli, & refutavi.

In divinis ante operationem intellectus omnia sunt perfectissime unum.

III.

Haec sententia, eadem videtur cum sententia Gilberti.

Secundo videtur haec sententia quoad rem ipsam coincidere cum sententia Gilberti, sectione praecedente impugnata: is enim aliud non dicebat, quam inter Relationes & Essentiam ante omnem intellectus operationem dari actualem distinctionem. Hoc argumentum latius prosecutus sum Disp. illa 5. citata, sect. 6. num. 9. & sequentibus, ubi etiam varias adversariorum responsiones rejeci.

IV.

Derogat simpliciter Dei.

Tertio haec sententia destruere videtur summam Dei simplicitatem: quod argumentum hic ulterius non urgeo, quia fuse illud proposui supra Disp. quinta, sectione septima.

V.

Nulla datur hujusmodi distinctio ex natura rei.

Secunda itaque, & vera sententia affirmat, nullam hujusmodi inter Relationes divinas & Essentiam dari actualem distinctionem, sive eam voces mediam, sive formalem, sive ex natura rei: ita S. Thomas hic q. 28. art. 2. quem Thomista omnes, & Molina ibidem sequuntur, Suarez hic, lib. 4. cap. 4. & in Metaphysica, Disp. 30. sect. 6. Fasolus q. 4. art. 2. dub. 12. Vasquez 1. p. D. 116. Tannerus hic, disp. 2. q. 2. dub. 2. & 7. Granado 1. p. tractatu 3. Disp. 2. sect. 2. Fonseca numero secundo citatus, & alii.

VI.

Argumentum praecipuum pro distinctio- ne actuali Relationum ab Essentia.

Praecipuum argumentum ad probandum, actualem aliquam inter Relationes & Essentiam dari distinctionem fundatur in praedicatis quibusdam contradictoriis quae a parte rei Essentiae & Relationibus convenire videntur: Essentia enim

divina nec generat, nec generatur; Pater vero generat, & Filius generatur: item Filiatio & Spiratio passiva realiter producuntur; Essentia vero non producitur, sed communicatur: ergo Relationes & Essentia non sunt idem realiter, licet enim eadem iis praedicata competere, juxta commune illud, & ab omnibus receptum axioma: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Haec, inquam, est praecipua difficultas in hac materia, cui proinde hujus decursu disputationis satisfacere conabor.

*Praedicata contradictoria arguunt distinctioem.*

*Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

SECTIO TERTIA.

*Ostenditur argumentum de praedicatis contradictoriis probare dari in Deo virtualem distinctionem.*

**A**RGUMENTUM in fine sectionis praecedentis propositum inter Theologorum omnium semper torfit ingenium, nec in quam se cunque partem verterent, ab ejus se difficultate expedire potuerunt: imò dum rem hanc declarare conati sunt, novam eam obscuritate involverunt, & pro luce tenebras pepererunt.

*Res haec semper torfit ingenium.*

P. Granado 1. p. tract. 3. disp. 3. sect. 4. (eodem fere modo procedit P. Vasquez & alii) affirmat nulla hic inveniri praedicata contradictoria: pro quo advertit, duo esse nominum genera, per quae praedicata divina nobis innotescunt: quarum enim res divinas significant, ut sunt a parte rei, nempe *Entitas Essentiae, realitas quae est Essentia, realitas quae est Relatio* &c. Alia vero nomina sunt, quae praedicata divina significant, ut praecisa, & prout involvunt nostros conceptus; qualia sunt, *Relatio, Essentia, Natura divina* &c. Si ergo in his vocibus, quae praedicata divina significant ut praecisa, formentur propositiones, nil mirum, inquit, si iis conveniant contradictoria, cum de illis loquamur, ut distinctis. Secus res se habet, si argumentum in iis vocibus proponatur, quae res divinas significant ut sunt a parte rei. Ait itaque has propositiones esse veras, *Filiatio producitur, Essentia non producitur*, quia non sunt de eodem. Ex his tamen, *Entitas, seu realitas Filiationis producitur; Entitas seu realitas Essentiae non producitur*, secunda propositio est falsa, quia loquitur de Essentia, non ut praecisa, sed ut est a parte rei.

*Quidam confugunt ad conceptus nostros inadeguatos.*

*Duo nomina genera, quibus praedicata divina nobis innotescunt.*

Sed contra: nam a parte rei, & nemine cogitante est aliquid in Patre, quod communicatur Filio, & aliquid quod non communicatur: nam juxta Concilium Florentinum in literis unionis, *Pater omnia dedit Filio, praeter esse Patrem*: ergo a parte rei eadem realiter entitas communicatur, & non communicatur, nam *esse Patrem*, est praedicatum realiter identificatum cum reliquis praedicatis Patris: ergo a parte rei de eadem re verificatur contradictoria. Hoc argumentum latius urgebo infra, nam meo judicio aperte probat dari in Deo distinctionem virtualem, ut postea videbimus.

*Pater a parte rei aliquid communicat Filio, & aliquid non communicat.*

Contra secundo: Totum quod est in Filio non producitur, sed aliquid producitur, & aliquid non producitur, idque realiter, & a parte rei; nec enim haec veritates, & mysteria fidei ab actibus intellectus creati, & imperfecto nostro concipiendi modo dependent: ergo eadem entitas realiter producitur, & non producitur, nam illud aliquid

*Aliquid in Filio producitur, & aliquid non producitur.*

aliquid & aliquid, à parte rei, & realiter identificantur. Hoc etiam Argumentum probat distinctionem virtualem.

V. Vno hypostatica attingit immensitatem personalem, non naturam.

Contra tertio, hoc idem ostenditur ex mysterio Incarnationis: humanitas enim unitur Personalitati Verbi, non Naturæ: si enim uniretur Naturæ, omnes tres Personæ incarnarentur: ergo eidem rei indivisibili unitur realiter, & non unitur. Dices, unitur etiam humanitas Naturæ divinæ, non quidem immediatè, sed mediatè. Contra: ergo eidem rei indivisibili humanitas unitur immediatè, & non unitur immediatè, quæ non minus sunt contradictoria, quam uniri simpliciter & non uniri. Nec ad hoc quidquam deserviant conceptus nostri, cum à parte rei, & nemine cogitante, eidem rei indivisibili uniatur humanitas immediatè, & non uniatur: quæ, nisi detur alia distinctio, præter meram distinctionem rationis, quæ ad hoc mysterium nihil conducit, cum ab actibus intellectus nostri sit planè independens, erunt contradictoria: ac proinde necessariò admittenda est distinctio virtualis sine quâ existimo hoc mysterium explicari omnino non posse.

Mera distinctio rationis hæc propositiones à contradictoriis non excusat.

VI. Filius procedit per intellectum, non per volitionem.

Contra quartò: juxta communem Theologorum sententiam, à parte rei, & nemine cogitante Verbum procedit per intellectum, non per volitionem; & Spiritus Sanctus econtrà per volitionem, non per intellectum: ergo à parte rei & nemine cogitante, vel datur aliqua distinctio inter intellectum & volitionem, vel hæc propositiones sunt contradictoria.

VII. Procedere formaliter, & non procedere formaliter, sunt contradictoria.

Dices primò: Verbum materialiter & identicè procedit etiam à volitione, & Spiritus Sanctus ab intellectu, quamvis non formaliter. Contra, procedere formaliter est reale prædicatum: si ergo Verbum procedat formaliter ab intellectu, non à volitione, intellectus & volitio distinguuntur aliquo modo à parte rei, alioqui ab eadem re indivisibili procedit formaliter, & non procedit formaliter, quæ non sunt minus contradictoria, quam uniri immediatè & non uniri immediatè, quæ certum est esse contradictoria juxta dicta numero quinto.

VIII. Quo sensu Filius procedat per entitatem, quæ est intellectus & volitio.

Dices secundò cum P. Granado propositiones illas non esse veras à parte rei, nec concedendas, sed hanc solum esse admittendam, Filius procedit per entitatem, quæ est intellectus & volitio. Sed contra, etiam Spiritus Sanctus procedit per entitatem quæ est intellectus & volitio: ergo Spiritus Sanctus erit Verbum ac Filius, & econtrariò Filius erit Spiritus Sanctus, cum à parte rei, secundum hanc sententiam, tam procedat Spiritus Sanctus per intellectum, quam Filius, & hic tam per volitionem, quam Spiritus Sanctus: sed est hæreticum dicere Filium esse Spiritum Sanctum, aut econtrà: ergo à parte rei, & ante omnem conceptum nostrum inter intellectum & volitionem aliqua concedenda est distinctio: nec enim, ut sæpe dixi, hoc mysterium à conceptibus nostris pendet, alioqui erit fictitium: nisi enim à parte rei Filius alio modo entitatem illam respiciat, ut est intellectus, quam ut est volitio, non magis erit Verbum, quam Spiritus Sanctus est Verbum, nec econtrà, neque intellectui nostro præbere potest fundamentum, cum veritate dicendi Filium procedere potius per intellectum, quam per volitionem, nec Spiritum Sanctum per volitionem, non per intellectum.

Alio modo à parte rei procedit Filius per entitatem quæ est intellectus, quam procedat Spiritus Sanctus.

IX. Virtualis distinctio ad hoc mysterium est necessaria.

Hæc argumenta, præsertim illud num. 3. propositum, efficaciter into judicio probant dari in Deo debere distinctionem virtualem, nec sine eâ

intelligi aut explicari hoc mysterium posse; quam proinde infra sectione quintâ, fusius declarabo.

SECTIO QUARTA.

Rejicitur alius modus solvendi nodum circa mysterium Trinitatis, sine distinctione virtuali.

DOCTUS quidam recentior, ut virtualem à Deo distinctionem excludat, hoc modo procedit. Ait in Sanctissimâ Trinitate aliud nihil esse, præter Essentiam divinam, & tres negationes notionales, Inaccessibilitatem, Inspirabilitatem, & negationem omnium productionum activarum. Essentia ergo, inquit, prout subest Inaccessibilitati est Pater, & generat; prout subest Inspirabilitati est Filius, & gignitur; denique, prout subest negationi omnium productionum activarum, est Spiritus Sanctus. In quantum itaque est sub prima negatione, est producens, non productum: in quantum est sub tertiâ, est productum, non producens; in quantum est sub secundâ, est simul producens & productum.

I. Modus conciliandi Trinitatem ex Essentia, & tribus negationibus.

Tres negationes notiones.

At sanè hanc sententiam nullo modo admittendam censeo. Primò enim parum dignum videtur tanto mysterio, ad ejusmodi illud minutias deducere, ac totam Personarum distinctionem in negationibus constituere, iisque & inter se, & ab essentia realiter distinctis.

II. Hac sententia nullâ ratione est admittenda.

Contra ergo est primò: hæc namque sententia, dum Trinitatem vult asserere, eam destruit: si enim talis semel constituatur Trinitas, quæ sit una res cum tribus aliis, realiter & ab illâ, & inter se distinctis, hujusmodi trinitates sæpe videmus in creatis: homo exempli gratiâ cum tribus potentiis, intellectu, memoriâ, & voluntate, si realiter distinguantur, ut juxta probabilem sententiam distinguuntur, esset perfecta Trinitas. Idem est de igne cum luce, calore, & siccitate: de flore habente calorem, odorem, & saporem, & sexcentis hujusmodi; quæ tamen omnes dicunt longissimè abesse à Trinitate; sicque mysterium hoc vilesceret, & omni mysterio privaretur, dum passim reperiretur in creaturis.

III. Hac opinio Trinitatem constituendo destruit.

Juxta hanc sententiam inveniretur Trinitas in creatis.

Dices: licet inveniri in creatis possint res variae, quæ in se tria habeant realiter distincta, non tamen ita, ut res illa se possit producere. Sed contra: præcipua difficultas in Trinitate, quæque omnium torfit ingenia, est quod sit unum & tria, seu unum realiter identificatum cum tribus realiter distinctis, ut constat ex illo principio, quod omnes circa hoc mysterium urgent, Quæ sunt eadem unum tertio, sunt eadem inter se: Ubi præcisè hoc urgetur, quod nimirum sit res aliqua identificata cum tribus relationibus inter se realiter distinctis. Hæc, inquam, est primaria hujus rei difficultas, & id in quo situm est Trinitatis mysterium, in cujus solutione à Theologis tot annis est defudatum.

IV. Præcipua difficultas in Trinitate est, quod sit realiter unum, & realiter tria.

Illud tamen mysterium, ut dixi, in hac sententiâ penitus evertitur; jam enim non est unum cum tribus identificatum, sed unum & tria realiter ab illo distincta, quales, ut ostendi, multa dantur in creatis trinitates. Ad id quod additur de productione, quamvis nonnullam etiam habeat difficultatem, ut nimirum idem se secundò producat, multis tamen gradibus non accedit ad primarium hujus mysterii nodum: quare plurimi Theologi affirmant nullo modo repugnare, ut idem se secundò aut sæpius producat: imò aiunt aliqui corpus Christi

V. Ostenditur in hac sententiâ everti mysterium Trinitatis.

Non repugnat ut idem se secundo aut sæpius producat.